

338

336

342

a galea fundum petuisse, et res tales leves, latae et cavae tarde
fundum petunt et longe sub undis fluitant. Dicebant etiam, quod
aurum et argentum cadens in mari statim raptum a loco, ubi ceci-
dit, abducitur, affirmantes, in maris profundo deambulare raptore
decidentium rerum. Hos raptores antiqui dicebant esse Nymphas
marinas, quas non imabant Nereides, diversa officia sub aquis habentes,
inter quas Doxa raptrix marina dicebatur. Sic ergo miles ille
tristis in sua galea mansit et domino patrono VI ducatos pro
concessa et perdita patera solvit. Ecce, quam mirabile fortunae
ludibrium, de quo bene canit Ovidius sic dicens:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quo voluere ruunt.

Omnia lapsum spondent et citius sunt prospera prompta
ruinae:
Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam praesens vix habet hora fidem.

Post prandium serenatus fuit paululum aér, et magnam con-
cepimus spem, quod beatissima Virgo Maria, vera maris stella,
nos adjuvare vellet; instabat enim festum sanctificationis ipsius in
utero. Unde in barcam descendimus quasi omnes de classe, et
ducti in littus in capella pro navigatione prospera ipsam miseri-
cordiae matrem interpellavimus. Delectabile fuit videre maturitatem
onnium et serium et fidem. Aliqui enim intra capellam prostrati
orabant, aliqui foris genibus flexis, aliqui circuibant continue ca-
pellam, aliqui ad littus contra mare orabant, demum omnes in
unum coeuntes intra capellam et juxta antiphonam: Salve Regina,
cantavimus. Post cujus completionem venerunt in mentem duo
versus cujusdam sequentiae beatae Virginis ad propositum, quos
ego ore, alii mente, cantavimus:

Salve splendor firmamenti, Placa mare, maris stella,
Tu caliginosae menti Ne involvat nos procella
Desuper irradia; Et tempestas obvia.

Laelissimam notam hi duo versus habent, quasi placitam glo-
riosae Virgini, quas saepe solitus fui cantare in mari existens.

Nobis igitur in Virginis Mariae obsequio sic persistentibus
ecce subito adjutorium adfuit, mutati sunt enim venti et fuerunt
facti secundi, et hortatorius clamor per universam classem inso-

338

336

342

332

347

327

387

287

437

237

Ende

Anfang

